

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Liber sextus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

M. ANTONII MURETI^A
AD LIBRUM QUINTUM
NATURALIUM SENECAE
QUESTIONVM, NOTÆ.

1. **V**ENTVS EST FLVENS AER.] *Hanc definitionem non à Stoicis primum pro-
ditam, sed vetustam esse ostendit Ari-
stoteles: & cerè Hippocratis in libro de
flatibus eam sententiam esse constat: quam tamen
multis modis Aristoteles secundo Meteorologicon er-
roris mendaciq; conuincit.*

AD CAP. IIII. 2. QVOMODO IN NO-
STRIS CORPORIBVS.] *Ridicula opinio. Itaque
Aristophanes Socratem ut populi ludibrio exponeret,
eodem propè modo de tonitruo & fulminis origine
differentem facit.*

AD CAP. VI. 3. ANIMALIA IGNE GE-
NERANTVR.] *Contrà Ouidius,*

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige
flamam.

Nataque de flammâ corpora nulla vides.
*Sed hac de re vide Aristotelem libro v. de historiâ ani-
malium, & Plinium capite XXXVI. lib. XI.*

AD CAP. VII. 4. NVNC VIRITIM INCI-
PIEMVS ILLOS EXCVTERE.] *De his omnibus, que
hoc loco de ventorum varietate narrantur, vide Pli-
nium libro II. à cap. XLV. vsque ad cap. L. & scripto-
rem noctium Atticarum cap. XXII. libri secundi.*

AD CAP. XVII. 5. GALLIAM CIR-
CIVS.] *Galliam Narbonensem: ubi hodieq; & ve-
hementiam & nomen retinet. Certe M. Cato vo-
cat, si emendata sunt exemplaria.*

L. ANNÆI SENECAE^C
AD LVCILIVM
NATURALIUM QUESTIONVM
LIBER SEXTVS.

In quo de terra motu agitur.

CAP.
I.



OMPEIOS, ¹ celebrem Campaniæ urbem, in quam ab alterâ
parte Surrentinum Sabianumque litus, ab alterâ Herculansense
conueniunt, mareque ex aperto conductum amœno sinu cingit,
desedisæ terræ motu, vexatis quæcumque adiacebant regionibus,
Lucili virorum optime, audiuius: ² & quidem diebus hiber-
nis: quos vacare à tali periculo maiores nostri solebant promitte-
re. Nonis Febr. fuit motus hic Regulo & Virginio consulibus,
qui Campaniam numquam securam huius mali, indemnem ta-
men, & totiens defunctam metu, magnâ strage vastauit. Nam & Herculansen-
sis op-
pidi pars ruit, dubieque stant etiam quæ relictæ sunt. Et Nucerinorum colonia, ut si-
ne clade, ita non sine querelâ est. Neapolis quoque priuatim multa, publicè nihil
amisit, leuiter ingenti malo perstricta. Villæ verò præruptæ passim sine iniuriâ tremue-
re. Adiciunt his ³ sexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuisas statuas: mo-
tæ post hoc mentis aliquos atque impotes sui errasse. Quorum ut causas excutiamus,
& pro-

- A** & propositi operis contextus exigit, & ipse in hoc tempus congruens casus. Quærenda sunt trepidis solatia, & demendus ingens timor. Quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimæ labant? Si, quod vnum immobile est in illo, fixumque, ut cuncta in se intenta sustineat, fluctuat: si quod proprium habet terra, perdidit, stare: ubi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quò sollicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, ubi tecta crepuere, & ruina signum dedit: tunc præceps quisque se proripit, & penates suos deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc, quod nos tuetur ac sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit ac titubat? Quid tibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, ubi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius ac sui firmum? Hostem muro repellam: præruptæ altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur. **B** A tempestate nos vindicant portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua & minas cæli, subterraneæ domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille cælestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia mutare sedes licet. Nullum malum sine effugio est. Numquam fulmina populos perusserunt. Pestilens cælum exhausit vrbes, non abstulit. Hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. Non enim domos solum, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas, regionesque subuertit: & modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse; sed supra nobilissimas vrbes, sine vlllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. Nec desunt qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt, & è viuorum numero viui auferuntur, tamquam non omne fatum ad eundem terminum veniat. Hoc habet inter cetera iustitiæ suæ natura præcipuum, quòd **C** cum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus. Nihil itaque interest, vtrum me lapis vnus elidat, an monte toto premar: vtrum supra me domus vnus onus veniat, & sub exiguo eius tumulo ac puluere exspirem, an totus caput meum terrarum orbis abscondat: in luce hunc & in aperto spiritum reddam, an in vasto terrarum dehiscientium sinu: solus in illud profundum, an cum magno comitatu populorum concidentium ferar. Nihil interest meâ quantus circa mortem meam tumultus sit: ipsa vbique tantumdem est. Proinde magnum sumamus animum aduersus istam cladem, quæ nec euitari, nec prouideri potest. Desinamus audire istos, qui Campaniæ renunciauere, quiq; post hunc casum emigrauerunt, negantq; se vmquam ipsam regionem accessuros. quis enim illis promittet melioribus fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem sortis sunt, & si nondum mora, tamen mobilia: hunc fortasse in quo securius consistis locum, hæc nox, aut hic ante noctem dies scindet. Vnde scies an melior eorum locorum conditio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit, & quæ in futurum ruinâ suâ **D** sulta sunt? Erramus enim, si vllam terrarum partem exceptam immunemque ab hoc periculo credimus. Omnes sub eadem iacent lege. Nihil ita, ut immobile esset, natura concepit. Alia temporibus aliis cadunt. Et quemadmodum in vrbus magnis, nunc hæc domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc hæc pars facit vitium, nunc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim vrbes simul perdidit. Anno priore Achaïam & Macedoniam, quæcumque est ista vis mali quæ incurrit, nunc Campaniam læsit. Circuit fatum, & si quid diu præterit, repetit. Quædam rariùs sollicitat, sæpiùs quædam. Nihil immune esse & innoxium finit. Non homines tantum, qui breuis & caduca res nascimur, vrbes oræque terrarum & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venit. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunæ, & felicitatem, cuius ex omni rebus humanis velocissima est leuitas, habituram in aliquo pondus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentem non venit, id ipsum, supra quod stamus, stabile non esse. Neque enim Campaniæ istud aut

Achaia, sed omnis soli vitium est, malè cohærere, & ex causis pluribus resolui, & sum- A
mam manere, partibus ruere. Quid ago? Solatium aduersus pericula dare pro-
II. miseram: ecce vndique timenda denuncio. Nego quidquam esse quietis æternæ: quod
& perire non possit, & perdere. Ego verò hoc ipsum solatij loco pono, & quidem valen-
tissimi: quandoquidem sine remedio timor stultus est. ratio terrorem prudentibus ex-
cutit: imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaque generi humano dictum
puta, quod illis subitâ captiuitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est,

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda: circumspicite quàm leuibus causis
discutiamur. Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non somnus, sine mensurâ qua-
dam salubria sunt. Iam intelligitis nugatoria esse nostra, & imbecilla corpuscula, fluida,
non magnâ molitione perdenda. Sine dubio id vnum periculi satis esset, quod tremunt
terræ, quod subito dissipantur, ac superposita diducunt. Magni se aestimat, qui fulmina
& motus terrarum hiatusque formidat: vult ille imbecillitati suæ conscius timere pitui- B
tam. ita videlicet nati sumus, tam felicia fortiti membra, & in hanc magnitudinem cre-
uimus, & ob hoc nisi mundi partibus motis, nisi cælum intonuerit, nisi terra subsederit,
perire non possumus. Vnguiculi nos, & ne totius quidem dolor, sed aliqua à latere eius
scissura conficit: & ego timeam terras trementes, quem crassior salua suffocat? Ego exti-
mescam emotum sedibus suis mare, & ne æstus, maiore quàm solet cursu, plus aquarum
trahens superueniat: cum quosdam strangulauerit potio, malè lapsa per fauces? Quàm
stultum est, mare horrere: cum scias, stillicidio perirete posse? Nullum est maius sola-
tium mortis, quàm ipsa mortalitas. nullum autem omnium istorum quæ extrinsecus
terrent, quàm quod innumerabilia pericula in ipso sinu sunt. Quid enim dementius,
quàm ad tonitrua succidere, & sub terram correpere fulminum metu? Quid stultius,
quàm timere nutationem aut subitos montium lapsus, irruptiones maris extra littus cie-
cti: cum mors vbique præstò sit, & vndique occurrat: nihilque sit tam exiguum, quod
non in perniciem generis humani satis valeat? Adeò non debent nos ista confundere, C
tamquam plus in se mali habeant, quàm vulgaris mors: vt contrà, cum sit necessarium
è vitâ exire, & aliquando emittere animam, maiore perire ratione iuuat. Necesse est mo-
ri vbicumque, quandoque. Stet licet ista humus, & se teneat suis finibus, nec vllâ iacte-
tur iniuriâ: supra me quandoque erit. Interest ergo, illam ego mihi, an ipsa se mihi im-
ponat? Diducitur ingenti potentiâ nescio cuius mali: rumpitur, & me in immensam al-
titudinem abducit. Quid porro? Mors leuior in plano est? Quid habeo quod querar,
si rerum natura non vult me iacere in ignobili loco? si mihi iniicit sui partem? Egregiè
Vagellius meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum est, inquit, mihi, calo cecidisse velim.

Idem licet dicere: Si cadendum est, cadam orbe concusso: non quia fas est optare publi-
cam cladem, sed quia ingens mortis solatium est, terram quandoque videre mortalem.

III. Illud quoque proderit præsumere animo, nihil horum deos facere, nec irâ numinum,
aut cælum concuti, aut terram. Suas ista causas habent: nec ex imperio sauiunt, sed ex D
quibusdam vitiis, vt corpora nostra, turbantur: & tunc, cum facere videntur iniuriam,
accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum, omnia terribilia sunt, vtpote quorum me-
tum raritas auget. Leuius accidunt familiaria: ex insolito formido est maior. Quare au-
tem quidquam nobis insolitum est? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus:
nec cogitemus, quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. Damus itaque huius
negligentiæ poenas, tamquam nouis territi: cum illa non sint noua, sed insolita. Quid er-
go? Non religionem incutit mentibus, & quidem publicè, siue deficere sol visus est, siue
luna, cuius obscuratio frequentior, aut parte sui, aut tota delituit? Longeque magis illæ
actæ in transuersum faces, & cæli magna pars ardens, & crinita sidera, & plures solis or-
bes, & stellæ per diem visæ, subiti que transcursus ignium, multam post se lucem trahen-
tium? nihil horum sine timore miramur: & cum timendi sit causa, nescire, non est tan-
ti scire, ne timeas? Quanto satius est, causas inquirere, & quidem toto in hoc intentum
animo?

- A** animo? Neque enim illo quidquam inueniri dignius potest, cui se non tantum commo-
det, sed impendat. Quæramus ergo, quid sit quod terram ab infimo moueat, I V.
quid tanti molem corporis impellat, quid sit illâ valentius, quid tantum onus vi suâ la-
befactet: cur modò tremat, modò luxata subsidat, nunc in partes diuisa discedat: &
aliàs interuallum ruinæ suæ diu seruet, aliàs citò comprimat: nunc amnes magnitudi-
nis notæ conuertat introrsus, nunc novos exprimat: aperiat aliquando aquarum calen-
tium venas, aliquando refrigeret: ignesque nonnumquam per aliquod ignotum antea
montis aut rupis foramen emittat, aliquando notos & per sæcula nobiles comprimat.
Mille miracula mouet, faciemque mutat locis, & defert montes, subrigit plana, valles ex-
tuberat, nouas in profundo insulas erigit. Hæc ex quibus causis accidunt, digna res est
excuti. Quod, inquis, erit pretium operæ? quo nullum maius est, nosse naturam. Neque
enim quidquam habet in se huius materiæ tractatio pulchrius, cum multa habeat futu-
ra vsui, quàm quòd hominem magnificentiam suam detinet; nec mercede, sed miraculo co-
B litur. Inspiciamus ergo quid sit, propter quod accidunt hæc: quorum est adeò mihi dul-
cis inspectatio, ut quamuis aliquando de motu terrarum volumen iuuenis ediderim, ta-
men tentare me voluerim, & experiri, an ætas aliquid nobis aut ad scientiam, aut certè
ad diligentiam adiecerit. Causam, quâ terra concutitur, alij in aquâ esse, alij in V.
ignibus, alij in ipsâ terrâ, alij in spiritu putauere: alij in pluribus, alij in omnibus his.
Quidam liquere ipsis aliquam ex istis causam esse dixerunt; sed non liquere, quæ esset.
Nunc singula persequamur. Illud ante omnia mihi dicendum est, opiniones veterum
parum exactas esse & rudes. Circa verum adhuc errabatur. Noua omnia erant primò
tentantibus, post eadem illa limata sunt: & si quid inuentum est, illis nihilominus refer-
ri debet acceptum. Magni animi res fuit, rerum naturæ latebras dimouere, nec conten-
tum exteriori eius conspectu, introspicere, & in deorum secreta descendere. Plurimum
ad inueniendum contulit, qui sperauit posse reperiri. Cum excusatione itaque veteres
audiendi sunt. Nulla res consummata est, dum incipit. Nec in hac tantum re omnium
C maximâ atque inuolutissimâ, in quâ etiam cum multum actum erit, omnis tamen ætas
quod agat, inueniet, sed in omni alio negotio, longè semper à perfectò fuere principia.
In aquâ causam esse, nec ab vno dictum est, nec vno modo. Thales Milesius totam V I.
terram subiecto iudicat humore portari & innatare: siue illud oceanum vocas, siue
magnum mare, siue alterius naturæ, simplicem adhuc aquam & humidum elementum.
Hac, inquit, vndâ sustinetur orbis, velut aliquod grande nauigium & graue his aquis
quas premit. Superuacuum est reddere causas, propter quas existimat, grauissimam par-
tem mundi non posse spiritu tam tenui fugacique gestari: non enim nunc de situ terra-
rum, sed de motu agitur. Illud argumenti loco ponit, aquas esse in causâ, quibus hic
orbis agitur, quòd in omni maiore motu erumpunt ferè noui fontes: sicut in nauigiis
quoque euenit, ut si inclinata sunt, & abièrè in latus, aquam sorbeant, quæ in omni one-
re eorum quæ vehit, si immodicè depressa sunt, aut superfunditur, aut certè dextrâ sini-
straque solito magis surgit. Hanc opinionem falsam esse, non est diu colligendum. Nam
D si terram aqua sustineret, tota aliquando concuteretur, semper moueretur: nec agitari il-
lam miraremur, sed manere. Tum tota concuteretur, non ex parte: numquam enim na-
uis dimidia iactatur. nunc verò non terrarum vniuersarum, sed ex parte motus est. Quo-
modo ergo fieri potest, ut quod totum vehitur, totum non agitur, si id quo vehitur,
agitatum est? At quare aquæ erumpunt? Primum omnium sæpè tremuit terra, & nihil
humoris noui fluxit. Deinde si ex hac causâ vnda prorumperet, à lateribus terræ cir-
cumfunderetur: sicut in fluminibus ac mari videmus accidere, ut incrementum aqua-
rum, quotiens nauigia desidunt, in lateribus maximè appareat. Ad vltimum non tam
exigua fieret quàm dicit eruptio, nec velut per rimam sentina subreperet, sed fieret in-
gens inundatio, ut ex infinito liquore, & ferente vniuersa. V I I.
Quidam motum ter-
rarum aquæ imputauere: sed non ex eadem causâ. Per omnem, inquit, terram, mul-
ta aquarum genera decurrunt. Alicubi perpetui amnes, quorum nauigabilis etiam sine
adiutorio imbrium magnitudo est. Hinc Nilus per æstatem ingentes aquas inuehit:
hinc

hinc qui medius inter pacata & hostilia fluit, Danubius ac Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Asiamque determinans, alter Germanos, auidam gentem belli, repellens. Adice nunc patentissimos lacus, & stagna populis inter se ignotis circumdata, & ineluctabiles nauigio paludes, nec ipsis quidem inter se peruias, quibus incoluntur. Deinde tot fontes, tot capita fluminum, subitos, & ex occulto amnes vomentia. Tot deinde ad tempus collectos torrentium impetus: quorum vires quam repentina, quam breues? Omnis hæc aquarum, etiam intra terram, natura faciesque est. Illic quoque alia vasto cursu deferuntur, & in præceps volutæ cadunt: alia languidiores in vadis refunduntur, & leniter ac quietè fluunt. Quis autem neget, vastis illas receptaculis concipi, & cessare multis inertes locis? Non est diu probandum, ibi multas aquas esse, vbi omnes sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex reposito multoque funderet. Si hoc verum est, necesse est aliquando illic amnis excrescat, & relictis ripis violentus in obstantia incurrat. Sic fiet motus alicuius partis, in quam flumen impetum dedit, & quam donec decrescat verberabit. Potest fieri, vt aliquam regionem riuus affluens exedat, ac secum trahat aliquam molem: quâ lapsâ, superposita quatiantur. Iam verò nimis oculis permittit, nec vltra illos scit producere animum, qui non credit esse in abscondito terræ sinus maris vasti. Nec enim video, quid prohibeat vel obster, quò minus illic habeatur aliquod etiam in abscondito littus, & per occultos aditus receptum mare, quod illic quoque tantumdem loci tenet, aut fortassis hoc amplius, quòd superiora cum tot animalibus erant diuidenda: abstrusa enim, & sine possessore deserta, liberiùs vndis vacant. Quas quis vetat illic fluctuare, & ventis, quos omne interuallum terrarum, & omnis aër creat, impelli? Potest ergo maior solito exorta tempestas, aliquam partem terrarum impulsam vehementiùs mouere. Nam apud nos quoque multa, quæ procul à mari fuerant, subito eius accessu vapulauêre; & villas in conspectu collocatas, fluctus, qui longè audiebatur, inuasit. Illic quoque potest accedere ac decedere pelagus

VIII. infernum: quorum neutrum fit sine motu superstantium. Non quidem existimo diu te hæsitaturum, an credas esse subterraneos amnes & mare absconditum. Vnde enim ista prorumpunt, vnde ad nos veniunt, nisi quòd origo humoris inclusa est? Age, cum vides interruptum Tigrim in medio itineris sicari, & non vniuersum auerti, sed paullatim, non apparentibus damnis, minui primùm, deinde consumi: quò illum putas abire nisi in obscura terrarum: vtique cum videas emergere iterum, non minorem eo qui prior fluxerat? Quid cum vides Alpheim, celebratum poëtis, in Achaiâ mergi, & in Siciliâ rursus transiecto mari effundere amœnissimum fontem Arethusam? Nescis autem, inter opiniones, quibus narratur Nili æstiuâ inundatio, & hanc esse, à terrâ illum erumpere, & augeri non supernis aquis, sed ex intimo redditis? Ego quidem centuriones duos, quos Nero Cæsar, vt aliarum virtutum, ita veritatis in primis amantissimus, ad inuestigandum caput Nili miserat, audiui narrantes, longum illos iter peregisse, cum à Rege Æthiopiarum instructi auxilio, commendati que proximis regibus, penetrassent. Ad vltiora quidem, aiebant, peruenimus, ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ nouerant, nec spirare quisquam potest, ita implicitæ aquis herbæ sunt, & aquæ nec pediti eluctabiles, nec nauigio, quod nisi paruum & vnius capax, limosa & obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. Sed siue caput illa, siue accessio est Nili, siue tunc nascitur, siue in terras ex priore recepta cursu redit: nonne tu credis, illam, quidquid est, ex magno terrarum lacu ascendere? Habeant enim oportet pluribus locis sparsum humorem, & in imo coactum, vt eructare

IX. tanto impetu possint. Ignem caussam motus quidam, & quidem non eandem iudicant. In primis Anaxagoras, qui existimat, simili panè ex causâ & aëra concuti, & terram: cum in inferiore parte spiritus crassum aëra, & in nubes coactum, eadem vi quâ apud nos quoque nubila frangi solent, rumpit, & ignis ex hoc collisu nubium, cursuque elisi aëris emicuit. Hic ipse in obuia incurrit, exitum quærens, ac diuellit repugnantia: donec per angusta aut nactus est viam exeundi ad cælum, aut vi atque iniuriâ fecit. Alij in igne causam quidem esse, sed non ob hoc iudicant: sed quia pluribus obrutus

A locis ardeat, & proxima quæque consumat. Quæ si quando exesa ceciderint, tunc sequi motum earum partium, quæ subiectis adminiculis destitutæ labant, donec corruere: nullo occurrente, quod onus exciperet. Tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur: aut cum diu nutauere, super ea se, quæ supersunt stantque, componunt. Hoc apud nos quoque videmus accidere, quotiens incendio pars ciuitatis laborat, cum exustæ trabes sunt, aut corrupta quæ superioribus firmamentum dabant: tunc diu agitata fastigia concidunt, & tam diu differuntur atque incerta sunt, donec in solido refederunt.

Anaximenes ait, terram ipsam sibi esse causam motus, nec extrinsecus incurrere quod illam impellat: sed intra ipsam & ex ipsa quasdam partes eius decidere, quas aut humor soluerit, aut ignis exederit, aut spiritus violentia excusserit. Sed his quoque cessantibus non deesse, propter quod aliquid abscedat aut reuellatur. Nam primum omnia vetustate labuntur, nec quidquam tutum à senectute est. Hæc solida quoque & magni roboris carpit. Itaque quemadmodum in ædificiis veteribus quædam non percussa tamen decidunt, cum plus ponderis habuere quam virium: ita in hoc vniuerso terræ corpore euenit, vt partes eius vetustate soluantur, solutæ cadant, & tremorem superioribus afferant: primum dum abscedunt (nihil enim vtiue magnum sine motu eius, cui hæsit, absconditur) deinde cum deciderunt, solido exceptæ resiliant, pilæ more, quæ cum cecidit exultat, ac sæpius pellitur, totiens à solo in nouum impetum missa. Si verò in stagnantibus aquis delata sunt, hic ipse casus vicina concutit fluctu, quem subitum vastumque illisum ex alto pondus eiicit.

Quidam ignibus quidem assignant hunc tremorem, sed aliter. Nam cum pluribus locis ferueant, necesse est ingentem vaporem sine exitu voluant, qui vi suâ spiritum intendit: & si acrius institit, opposita diffundit: si verò remissior fuit, nihil amplius quam mouet. Videmus aquam spumare, igne subiecto. Quod in hac aqua facit inclusa & angusta, multò magis illum facere credamus, cum violentus ac vastus ingentes aquas excitat. Tunc ille vaporazione inundantium aquarum, quidquid pulsauerit, agit.

Spiritus esse qui moueat, & plurimis & maximis autoribus placet. Archelaus antiquitatis diligens, ait ita: Venti in concaua terrarum deferuntur: deinde vbi iam omnia spatia plena sunt, & in quantum aër potuit densatus est, is qui superuenit spiritus, priorem premit & elidit, ac frequentibus plagis primò cogit, deinde perturbat. Tunc ille quærens locum, omnes angustias dimouet, & claustra sua conatur effringere. Sic euenit, vt terræ, spiritu luctante, & fugam quærente, moueantur. Itaque cum terræ motus futurus est, præcedit aëris tranquillitas & quies: videlicet, quia vis spiritus, quæ concitare ventos solet, in infernâ sede detinetur. Nunc quoque cum hic motus in Campaniâ fuit, quamuis hiberno tempore, & inquieto, per superiores dies aër stetit. Quid ergo? Numquam flante vento terra concussa est? Admodum rarò duo fluere simul venti. Fieri tamen & potest, & solet. quod si recipimus, & constat duos ventos rem simul gerere: quid ni accidere possit, vt alter superiorem aëra agitet, alter inferum?

In hac sententiâ licet ponas Aristotelem, & discipulum eius Theophrastum, non, vt Græcis visum est, diuini, tamen & dulcis eloquij virum, & nitidi sine laboris. Quid vtrique placeat, exponam. Semper aliqua euaporatio est è terrâ, quæ modò arida est, modò humido mixta. Hæc ab infimo edita, & in quantum potuit, elata, cum vltiorem locum in quem exeat non habet, retrò fertur, atq; in se reuoluitur: dumque rixa spiritus reciprocantis iactat obstantia, & siue interclusus, siue per angusta enisus est, motum ac tumultum ciet. Straton ex eadem scholâ est, qui hanc partem philosophiæ maximè coluit, & rerum naturæ inquisitor fuit. Huius tale decretum est: Frigidum & calidum semper in contraria abeunt, & vnâ esse non possunt: eò frigidum confluit, vnde vis calida discessit: & inuicem ibi calidum est, vnde frigus expulsum est. Hoc quod dico verum est: sed vtrumque in contrarium agi, ex hoc tibi appareat. Hiberno tempore, cum supra terram frigus est, calent putei, nec minùs specus, atque omnes sub terrâ recessus: quia eò se calor contulit, superiora possidenti frigori cedens: qui cum in inferiora peruenit, & eò se quantum poterat ingessit, quò densior, hoc validior est: huic alius superuenit, cui necessariò congregatus ille iam & in angustum pressus, loco cedit.

Idem

Idem è contrario euenit, cum vis maior frigidi illata in cauernis est. Quidquid illuc calidi A
latet, frigori cedens abit in angustum, & magno impetu agitur: quia non patitur vtriuf-
que natura concordiam, nec in vno moram. Fugiens ergo, & omni modo cupiens exce-
dere, proxima quæque remolitur ac iactat. Ideoque antequam terra moueatur, solet mu-
gitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus: nec enim aliter posset, vt ait noster Virgi-
lius,

Sub pedibus mugire solum, & iuga celsa moueri:

nisi hoc esset ventorum opus. Vices deinde huius pugnae sunt: definit calidi congrega-
tio, ac rursus eruptio. Tunc frigida compescuntur & succedunt, mox futura potentiora.
Dum ergo alterna vis cursat, & vtrò citroque spiritus comineat, concutitur.

XIV. Sunt qui existiment, spiritu quidem, & nullâ aliâ ratione tremere terram, sed ex aliâ
causâ, quàm Aristoteli placuit. Quid sit quod ab his dicatur, audi. Corpus nostrum &
sanguine irrigatur, & spiritu, qui per sua itinera discurret. Habemus autem quædam an-
gustiora animæ receptacula, per quæ nihil ampliùs quàm meat: quædam patentiora, in
quibus colligitur, & vnde diuiditur in partes. Sic hoc totum terrarum omnium corpus, B
& aquis, quæ vicem sanguinis tenent, & ventis, quos nihil aliud quis quàm animam vo-
cauerit, peruium est. Hæc duo alicubi concurrunt, alicubi consistunt. Sed quemadmo-
dum in corpore nostro, dum bona valetudo est, venarum quoque imperturbata mobili-
tas modum seruat: vbi aliquid aduersum est, micat crebrius, & suspiria atque anhelitus, la-
borantis ac fessi signa sunt: ita terræ quoque, dum illis positio naturalis est, inconcussæ
manent. Cum aliquid peccatur, tunc velut ægri corporis motus est, spiritu illo qui mo-
destius perfluebat, icto vehementius, & quassante venas suas: nec, vt illi paullo antè di-
cebant, quibus animal placet esse terram. nam si hoc est quemadmodum animal, tota
vexationem sentiet. Neque enim in nobis febris alias partes moderatius impellit, sed per
omnes pari æqualitate discurret. Vide ergo, numquid intret in illam spiritus ex circum-
fuso aëre: qui quamdiu habet exitum, sine iniuriâ labitur: si offendit aliquid, & incidit
quod viam claudat, tunc oneratur primò infundente se à tergo aëre. Deinde per aliquam
rimam malignè fugit, & hoc acrius fertur, quo angustius. Id sine pugna non potest fie- C
ri, nec pugna sine motu. At si nec rimam quidem per quam effluat inuenit, congloba-
tus ille furit, & huc atque illò circumagitur, aliaque deiicit, alia intercidit: cum tenuissi-
mus, idemque fortissimus, & irreat quamuis in obstructa, & quidquid intrauit, vi suâ
diducat & dissipet: tunc terra iactatur. Aut enim datura vento locum discedit, aut cum
dedit, in ipsam, quâ illum emisit, cauernam fundamento spoliata confidit.

XV. Quidam ita existimant. Terra multis locis perforata est, nec tantum primos illos adi-
tus habet, quos velut spiramenta ab initio sui recepit, sed multos illuc casus imposuit.
Alicubi diduxit, quidquid supernè terreni erat, aqua: alia torrentes exedère, illa æstibus
magnis dirupta patuère. Per hæc interualla intrat spiritus: quem si inclusit mare, & ad-
egit, nec fluctus retrò abire permisit, tunc ille exitu simul redituque præcluso, volutatur.
Et quia in rectum non potest tendere, quod illi naturale est, in sublime se intendit, & ter-
ram prementem reuerberat.

XVI. Etiamnum dicendum est, quod plerisque auetori-
bus placet, & in quo fortasse fiet dissensio. Non esse terram sine spiritu, palam est. Non D
tantum illo dico, quo se tenet, ac partes sui iungit, qui inest etiam saxi mortuique cor-
poribus: sed illo dico vitali, & vegeto, & alente omnia. Hunc nisi haberet, quomodo
tot arbutis spiritum infunderet, non aliunde viuentibus, & tot satis? Quemadmodum
tam diuersas radices aliter atq; aliter in se mersas foueret, quasdam summâ receptas par-
te, quasdam altius tractas, nisi multum haberet animæ, tam multa, tam varia generan-
tis, & haustu atque alimento suo educantis? Leuibus adhuc argumentis ago. Totum
hoc cælum, quod igneus æther, mundi summa pars, claudit, omnes hæc stellæ, quarum
iniri non potest numerus, omnis hic cælestium cœtus, & (vt alia præteream) hic tam pro-
pè à nobis agens cursum sol, omni terrarum ambitu non semel maior, alimentum ex ter-
reno trahunt, & inter se partiuntur: nec vllò alio scilicet, quàm halitu terrarum susti-
nentur. Hoc illis alimentum, hic pastus est. Non posset autem tam multa, tantaque, &
se ipsâ maiora, terra nutrire, nisi plena esset animæ, quam per diem & noctem ab om-
nibus

A nibus partibus suis fundit. Fieri enim non potest, ut non multum illi superfit, ex quâ tantum petitur ac sumitur: & ad tempus quidem, quod exeat, nascitur. Nec enim esset perennis illi copia suffecturi in tot caelestia spiritus, nisi inuicem ista excurrerent, & in aliud alia soluerentur. Sed tamen necesse est abundet ac plena sit, & ex condito proferat. Non est ergo dubium, quin multum spiritus lateat intus, & cæca sub terrâ spatia aër latius obtineat. Quod si verum est, necesse est id sæpè moueatur, quod re mobilissimâ plenum est. Numquid enim dubium esse potest cuiquam, quin nihil sit tam inquietum quàm aër, & tam versabile & vagatione gaudens? Sequitur ergo, ut naturam XVII. suam exerceat, & quod semper moueri vult, aliquando & alia moueat. Id quando fit? Cùm illi cursus interdictus est. Nam quamdiu non impeditur, placidè fluit: cùm offenditur & retinetur, insanit, & moras suas abruptit, non aliter, quàm ille poëtae

— *pontem indignatus Araxes.*

Quamdiu illi facilis & liber est alueus, primas quasque aquas explicat. Vbi saxa manu XVIII.
B vel casu illata pressère venientem, tunc impetum morâ quærit: & quò plura opposita sunt, plus inuenit virium. Omnis enim illa vnda quæ à tergo superuenit, & in se crescit, cùm onus suum sustinere non potuit, vim ruinâ parat, & prona cum his quæ iacebant fugit. Idem spiritu fit: qui quò valentior agiliorque est, citius rapitur, & vehementius septum omne disturbat. Ex quo motus fit scilicet eius partis, sub quâ pugnatum est. Quod dicitur, verum esse ex illo probatur: sæpè enim cùm terræ motus fuit, si modò pars eius aliqua dirupta est, inde ventus per multos dies fluxit: ut traditur factum eo terræmotu, quo Chalcis laborauit: quod apud Asclepiodotum inuenies, auditorem Posidonij, in ipsis quæstionum naturalium causis. Inuenies & apud alios auctores, hiasse vno loco terram, & inde non exiguo tempore spirasse ventum: qui scilicet illud iter ipse sibi fecerat, per quod ferebatur. Maxima ergo causa est, propter quam terra mo- XVIII. ueatur, spiritus naturâ citus, & locum è loco mutans. Hic quamdiu impellitur, & in vacanti spatio latet, iacet innoxius, nec circumiectis molestus est. Vbi illum extrinsecus XIX.
C superueniens causa sollicitat, compellitq; & in arctum agit, scilicet adhuc cedit tantum, & vagatur. Vbi erepta discedendi facultas est, & vndique obsistitur, tunc

— *magno cum murmure montis*

Circum claustra fremit,

quæ diu pulsata conuellit ac iactat: eò acrior, quò cum valentiore morâ luctatus est. Deinde cùm circà perlustrauit omne quo tenebatur, nec potuit euadere, inde quo maxime impactus est, resilit: & aut per occulta diuiditur, ipso terræmotu raritate factâ, aut per nouum vulnus emicuit. Ita eius vis tanta non potest cohiberi, nec ventum tenet vlla compages: soluit enim quodcumque vinculum, & omne onus fert secum, infususque per minima, laxamentum sibi parat, indomitâ naturæ potentiâ liber, utique concitatus, sibi ius suum vindicat. Spiritus verò inuicta res est: nihil enim erit quod

Lucentes ventos, tempestatesque sonoras

Imperio premat, ac vinclis & carcere frenet.

D Sine dubio poëtae hunc voluerant videri carcerem, in quo sub terrâ clausi laterent. Sed hoc non intellexerunt, nec id quod clausum est, esse adhuc ventum: nec id quod ventus est, posse iam claudi. Nam quod in clauso est, quiescit, & aëris statio est. Omnis in fugâ ventus est. Etiamnum & illud accedit his argumentis, per quod appareat, motum effici spiritu, quòd corpora quoque nostra non aliter tremunt, quàm si spiritum aliqua causa conturbat: cùm timore contractus est, cùm senectute languescit, & venis torpentibus marcet, cùm frigore inhibetur, aut sub accessionem cursu suo deiicitur. Nam quamdiu sine iniuriâ perfluit, & ex more procedit, nullus est tremor corpori. cùm aliquid occurrat quod inhibeat eius officium, tunc parum potens perferendis his quæ suo vigore tenebat, deficiens concutit, quidquid integer tulerat. Metrodorum Chium ne- XIX. cessè est audiamus, quod vult sententiæ loco dicentem. Non enim permitto mihi nec eas quidem opiniones præterire, quas improbo: cùm satius sit omnium copiam fieri, & quæ improbamus, damnare potius, quàm præterire. Quid ergo dicit? Quomodo in

R R

dolio

- dolio cantantis vox, per totum cum quadam discussione percurrit ac resonat, & tam le- A
uiter mota, tamen circuit, non sine tactu eius tumultuque, quo inclusa est: sic spelunca-
rum sub terrâ pendentium vastitas habet aëra suum; quem simul alius supernè incidens
percussit, agit non aliter, quàm illa de quibus paullo antè retuli, inania indito clamore
xx. sonuerunt. Veniamus nunc ad eos, qui omnia ista quæ retuli, in causâ esse dixe-
runt, aut ex his plura. Democritus plura putat. Ait enim, motum aliquando spiritu fie-
ri, aliquando aquâ, aliquando utroque: & id hoc modo profectur. Aliqua pars terræ
concaua est, & in hanc aquæ magna vis confluit. Ex hac est aliquid tenue, & ceteris li-
quidius. Hoc cum superueniente grauitate reiectum est, terris illiditur, & illas mouet.
Nec enim fluctuari potest sine motu eius, in quod impingitur. Etiamnum quod modò
de spiritu dicebamus, de aquâ quoque dicendum est. Vbi in vnum locum congesta est,
& capere se desiit, aliquò incumbit, & primò viam pondere aperit, deinde impetu. Nec
enim exire nisi per deuexum potest, diu inclusa, nec in directum cadere moderatè, aut
fine concussione eorum, per quæ & in quæ cadit. Si verò cum iam rapi cœperit, aliquo B
loco substitit, & illa vis fluminis in se reuoluta est, in continentem terram repellitur, &
illam, quâ parte maximè tendit, exagitat. Præterea aliquando madefacta tellus, liquo-
re penitus accepto, altius fidit, & fundus ipse vitiatur: tunc ea pars premitur, in quam
maximè aquarum vergentium pondus inclinatur. Spiritus verò nonnumquam impellit
vndas, & si vehementius instat, eam scilicet terræ partem mouet, in quam coactas aquas
intulit. Nonnumquam in coacta itinera coniectus, & exitum quærens, mouet omnia:
terra autem penetrabilis ventis est, & spiritus subtilior est, quàm vt possit excludi, & ve-
hementior, quàm vt sustineri concitatus ac rapidus. Omnes istas esse posse causas Epi-
curus ait, pluresque alias tentat: & alios, qui aliquid vnum ex istis esse affirmauerunt,
corripit: cum sit arduum, de iis quæ coniecturâ sequenda sunt, aliquid certi promittere.
Ergo, vt ait, potest terram mouere aqua, si partes aliquas eluit, & abrasit, quibus desiit
posse extenuatis sustineri, quod integris ferebatur. Potest terram mouere impressio spi-
ritus. Fortasse enim aër extrinsecus aliò intrante aëre agitur. Fortasse aliquâ parte sub- C
itò decedente percutitur, & inde motum capit. Fortasse aliquâ parte terræ velut co-
lumnis quibusdam ac pilis sustinetur: quibus vitiatis ac recedentibus, tremit pondus
impositum. Fortasse calida vis spiritus in ignem versa, & fulmini similis, cum magnâ
strage obstantium fertur. Fortasse palustres & iacentes aquas aliquis flatus impellit, &
inde aut ictus terram quatit, aut spiritus agitatio, ipso motu crescens, & se incitans, ab
imo in summa vsque perfertur: nullam tamen illi placet causam motus esse maiorem,
xxi. quàm spiritum. Nobis quoque placet, hunc spiritum esse, qui tanta possit co-
nari, quo nihil est in rerum naturâ potentius, nihil acrius, sine quo nec illa quidem, quæ
vehementissima sunt, valent. Ignem spiritus concitat: aquæ, si ventum detrahas, iner-
tes sunt. Tunc demum impetum sumunt, cum illas agit flatus: qui potest dissipare ma-
gna spatia terrarum, & novos montes subrectos extollere; & insulas non antè visas, in
medio mari ponere. Therasiam nostræ ætatis insulam, spectantibus nautis in Ægæo
mari enatam, quis dubitat, quin in lucem spiritus vexerit? Duo genera sunt (vt Posido- D
nio placet) quibus mouetur terra: vtrique nomen est proprium. Altera succussio est, cum
terra quatitur, & sursum ac deorsum mouetur: altera inclinatio, quâ in latera nutat na-
uigij more. Ego & tertium illud existimo, quod nostro vocabulo signatum est: non
enim sine causâ tremorem terræ dixere maiores, qui vtrique dissimilis est. nam nec suc-
cutiuntur tunc omnia, nec inclinantur, nec vibrantur. Res minimè in huiusmodi casu
noxia, sicut longè perniciosior est inclinatio concussione. Nam nisi celeriter ex alterâ
parte properabit motus, qui inclinata restituat, ruina necessariò sequitur. Cum dissimi-
xxii. les ij motus inter se sint, causæ eorum diuersæ sunt. Prius ergo de motu qua-
tiente dicamus. Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt, &
rotæ maiore nisu in salebras inciderunt, terram concuti senties. Asclepiodotus tradit,
cum petra è latere montis abrupta cecidisset, ædificia vicina tremore collapsa. Idem sub
terris fieri potest, vt ex his quæ impendent rupibus aliqua resoluta, magno pondere ac
sono

A sono in subiacentem
aut venit altius.
suo abscondi saxa
missuras lapidum
cam) cutem quæ
firmat illa, quæ
ris decidunt, tum
sistere, succutitur
vt ait Virgilius
transeo.
ritus fertur: qui
vt paullo ante
B Callisthenes per
regis impatiem
felicitas remouet
tur, Et Callisth
gnum regnum
no tenuis vicit,
vsque ad Orientem
antiqua ducum
quàm scelus C
Helice Burt
id quod in pri
admodum vbi
scenderat, res
C ipse occurrere
Neptuno huius
scit illum apu
sam, & ipse con
foramina, nec
an etiam per su
cutis spiritum
dem a nobis re
passe, sed in vi
spicari licet, vel
ter & ab imo. F
scilicet his, super
tum in caueis
D mor sequitur,
potest fieri. Ali
horrorem age
mili causâ, con
mentum vel ma
ruina solum est,
dides ait, circa P
ximâ ex parte su
bus opus est. Ma
interile. Quod
magnâ vi in vac
gitare, latera ip
hæc nonnumquam

A sono in subiacentem cauernam cadat, eò vehementius, quò aut plus ponderis habuit, aut venit altius. Et sic commouetur omne tectum cauatae vallis. Nec tantum pondere suo abscindi saxa credibile est, sed cum flumina supra ferantur, assiduus humor commissuras lapidis extenuat, & quotidie his ad quæ religatus est aufert, & illam (vt ita dicam) cutem quâ continetur, abradit. Deinde longa per æuum diminutio vsque eò infirmat illa, quæ quotidie attriuit, vt desinant esse oneri ferendo. Tunc saxa vasti ponderis decidunt, tunc illa præcipitata rupes, quidquid ab imo reperculsit, non passura consistere, succutit,

— Et ruere omnia visa repente:

vt ait Virgilius noster. Huius motus succutientis terras hæc erit causa. Ad alteram transeo.

Rara terræ natura est, multumque habens vacui. per has raritates spiritus fertur: qui vbi maior influxit, nec emittitur, concutit terram. Hæc placet & aliis, vt paullo antè retuli, causa: si quid apud te profectura testium turba est. Hanc etiam **B** Callisthenes probat non contemptus vir. Fuit enim illi nobile ingenium, & furibundi regis impatiens. Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit: Occidit Persarum multa millia: opponetur, Et Callisthenem. Quotiens dictum erit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat: opponetur, Et Callisthenem. Quotiens dictum erit, Omnia oceano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit: dicetur, Sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenes. Hic Callisthenes in libris, quibus describit quemadmodum Helice Burisquæ mersæ sunt, quis illas casus in mare, vel in illas mare immiserit, dicit id quod in priore parte dictum est. Spiritus intrat terram per occulta foramina, quemadmodum vbique, ita & sub mari. Deinde cum est obstructus ille trames, per quem descenderat, reditum autem illi à tergo resistens aqua abstulit, huc & illuc fertur, & sibi

C ipse occurrens terram labefactat. Ideò frequentissimè mari opposita vexantur, & inde Neptuno hæc assignata est mouendi potentia. Quisquis primas litteras Græcas didicit, scit illum apud Homerum ἐννοσίγαιον vocari. Spiritum esse huius mali causam, & ipse consentio: de illo disputabo, quomodo intret hic spiritus: vtrum per tenuia foramina, nec oculis comprehensibilia, an per maiora ac patentiora: & vtrum ab imo, an etiam per summa terrarum. Hoc incredibile est. Nam in nostris quoque corporibus cutis spiritum respuit: nec est illi introitus, nisi per quem trahitur: nec consistere quidem à nobis receptus potest, nisi in laxiore corporis parte. Non enim inter nervos pulpæve, sed in visceribus & patulo interioris partis recessu commoratur. Idem de terrâ suspicari licet, vel ex hoc, quod motus non in summo terræ, circæve summa est, sed subter & ab imo. Huius indicium est, quod altitudinis profundæ maria iactantur, motis scilicet his, supra quæ fusa sunt. Ergo verisimile est, terram ex alto moueri, & illuc spiritum in cauernis ingentibus concipi. Imò, inquit, 'ceu cum frigore inhorruimus, tremor sequitur, sic terras quoque spiritus extrinsecus accidens quatit. Quod nullo modo potest fieri. Algere enim debet, vt idem illi accidat, quod nobis, quos externa causa in horrorem agit. Accidere autem terræ simile quiddam nostræ affectionis, sed non ex simili causâ, concesserim. Illam interior & altior iniuria debet impellere: cuius rei argumentum vel maximum hoc potest esse, quod cum vehementi motu ad apertum ingenti ruinâ solum est, totas nonnumquam vrbes & recipit hiatus ille, & abscondit. Thucydides ait, circa Peloponnesiaci belli tempus, Atalantam insulam aut totam, aut certè maximâ ex parte superfusam. Idem Sidoni accidisse, Posidonio crede. Nec ad hoc testibus opus est. Meminimus enim terris interno motu diuulsis, loca disiecta, & campos interisse. Quod iam dicam, quemadmodum existimem fieri.

Cum spiritus magnâ vi in vacuum terrarum locum penitus applicuit, cœpitque rixari, & de exitu cogitare, latera ipsa intra quæ latet, sæpius percutit, supra quæ vrbes interdum sitæ sunt, hæc nonnumquam adeo concutuntur, vt ædificia superposita procumbant: nonnumquam

quam in tantum, ut parietes quibus fertur omne tegimen caui, decidant in illum subter-
 uacantem locum, totaque vrbes in immensam altitudinem mergantur. Si velis crede-
 re, aiunt, aliquando Oslam Olympo cohæsisse, deinde terrarum motu recessisse, & scis-
 sam vnus magnitudinem montis in duas partes. Tunc effugisse Peneum, qui paludes
 quibus laborabat Thessalia, siccauit, abductis in se quæ sine exitu stagnauerant aquis.
 Ladon flumen inter Helim & Megalen polin medius est, quem terrarum motus effudit.
 Per hoc quid probo? In laxos specus (quid enim aliud appellem loca vacua sub terris?)
 spiritum conuenire. Quod nisi esset, magna terrarum spatia commouerentur, & vnâ
 multa titubarent. Nunc exiguae partes laborant, nec vîquam per ducenta milliarum mo-
 tus extenditur. Ecce hic qui impleuit fabulis urbem, non transcendit Campaniam. Quid
 dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetit? Cum laborauit Ægium, tam propin-
 quas illi Patras de motu nihil audisse? Illa vasta concussio, quæ duas suppressit vrbes,
 Helicen & Burin, citra Ægium constitit. Apparet ergo, in tantum spatium motum pro-
 tendere, quantum illa sub terris vacantis loci inanitas pateat. Poteram ad hoc
 probandum abuti auctoritate magnorum virorum, qui ¹⁰ Ægyptum numquam tre-
 muisse tradunt. Rationem autem huius rei hanc reddunt, quod ex limo tota concre-
 uerit. Tantum enim (¹¹ si Homero fides est) aberat à continenti Pharos, quantum na-
 uis diurno cursu metiri plenis lata velis potest: sed continenti admota est. Turbidus
 enim defluens Nilus, multumque secum limum trahens, & eum subinde apponens prio-
 ribus terris, Ægyptum annuo incremento semper vltra tulit. Inde pinguis & limosi so-
 li est, nec vlla interualla in se habet, sed creuit in solidum arescente limo: quo pressa
 erat & sedens structura, cum partes glutinarentur, nec quidquam inane interuenire po-
 terat, cum solido liquidum ac molle semper accederet. Sed mouetur & Ægyptus ¹² &
 Delos, quam Virgilius stare iussit:

Immotamque colit dedit, & contemnere ventos.

Hanc philosophi quoque, ¹³ credula natio, dixerunt non moueri, ¹⁴ auctore Pindaro.
¹⁵ Thucydides ait, antea quidem immotam fuisse, sed circa Peloponnesiacum bellum
 tremuisse. Callisthenes & alio tempore ait hoc accidisse: Inter multa, inquit, prodigia
 quibus denunciata est duarum urbium Helices & Buris euersio, fuere maxime notabi-
 lia, columna ignis immensi, & Delos agitata. Quam ideo stabilem videri vult, quia ma-
 ri imposita, habeat concauas rupes & saxa peruia, quæ dent deprehensio aëri reditum.
 Ob hoc etiam insulas esse certioris soli, vrbesque eò tutiores, quò propius ad mare acces-
 serunt. Falsa hæc esse, Pompeij & Herculaneum sensere. Adice nunc, quò omnis ora
 maris obnoxia est moribus. Sic Paphos non semel corruit, sic nobilis & huic iam fami-
 liaris malo Nicopolis. Cyprum ambit altum mare & agitur. Tyros & ipsa tam mo-
 uetur, quam diluitur. Hæ ferè causæ redduntur, propter quas tremit terra.

xxvii. Quædam tamen propria in hoc Campano motu accidisse narrantur, quorum ratio
 reddenda est. Aiunt enim sexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeianâ re-
 gione. Non est quare hoc putes ouibus illis timore accidisse. Diximus solere post ma-
 gnos terrarum motus pestilentiam fieri. Nec id mirum est: multa enim mortifera in al-
 to latent. At aër ipse qui vel terrarum culpâ, vel pigritiâ, & aternâ nocte torpescit,
 grauis haurientibus est: vel corruptus internorum ignium vitio, cum est longo situ
 emissus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit, insuetumque ducentibus spiri-
 tum, affert noua genera morborum. Quid, quò aquæ inutiles pestilentesque in abdito
 latent, ut quas numquam vsus exerceat, numquam aura liberior verberet? Crassæ itaque,
 & graui caligine sempiternaque tectæ, nihil nisi pestiferum in se & corporibus nostris
 contrarium habent. Aër quoque qui admixtus est illis, qui que inter illas paludes ia-
 cet, cum emerit, latè vitium suum spargit, & haurientes necat. Facilius autem peco-
 ra sentiunt, in quæ pestilentia incurrere solet, quò auidiora sunt: aperto cælo plurimum
 vtuntur, & aquis, quarum maxima in pestilentia culpa est. Oves verò mollioris naturæ,
 quò propiora terris ferunt capita, corruptas esse non miror, cum afflatum diri aëris circa
 ipsam humum exceperint. Nocuisset ille & hominibus, si maior exiisset: sed illum co-
 pia

A pia aëris sinceri exstinxit, antequam ut ab homine posset trahi, surgeret. Multa xxviii
autem terras habere mortifera, vel ex hoc intellige, quod tot venena nascuntur, non manu sparsa, sed sponte: solo scilicet habente, ut boni, ita mali semina. Quid, quod pluribus Italiae locis per quaedam foramina pestilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non feræ tutum est? Aves quoque si in illum inciderint, antequam cælo meliore leniatur, in ipso volatu cadunt, liuentque corpora, & non aliter quam per vim elisæ fauces tuent. Hic spiritus quamdiu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiae habet, quam ut despectantia & ultro sibi illata conficiat. Vbi per sæcula conditis tenebris, ac tristitia loci crevit in vitium, ipsa ingrauescit morâ: hoc peior, quod segnior. Cum autem exitum nactus est, æternum illud vmbrosi frigoris malum, & infernam noctem soluit, ac regionis nostræ aëra infuscat. Vincuntur enim meliora peioribus. Tunc etiam ille spiritus purior transit in noxium. Inde subitæ continuæque mortes, & monstrosa genera morborum, ut ex nouis orta caussis. Brevis aut longa clades est, prout vitia
B valuere. Nec prius pestilentia desinit, quam spiritum illum grauem exercuit laxitas cæli, ventorumque iactatio. Nam quod aliquot insanis attonitisque similes discurre
currere fecit metus, qui excutit mentes, ubi priuatus ac modicus est, quid ubi publice terret, ubi cadunt vrbes, populi opprimuntur, terrâ concutitur: quid mirum est, animos inter dolorem & metum destitutos aberrasse? Non est facile, inter magna non desipere. Itaque lenissima ferè ingenia in tantum venere formidinis, ut sibi exciderent. Nemo quidem sine aliquâ iacturâ sanitatis expauit, similisque furenti, quisquis timet: sed alios citò timor sibi reddit, alios vehementius perturbat, & in dementiam transfert. Inde inter bella errare lymphatici: nec vsquam plura exempla vaticinantium inuenies, quam ubi formido mentes religione mixta percussit. Statuam diuisam non miror, cum dixerim montes à montibus recessisse, & ipsum disruptum esse ab imo solum.

*Hæc loca, vi quondam & vastâ conuulsa ruinâ,
(Tantum cui longinqua valet mutare vetustas)
Disiuisse ferunt, cum protinus vtraque tellus
Vna foret, venit medio vi pontus, & vndis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaque & vrbes
Littore diductas, angusto interluit æstu.*

C Vides totas regiones à suis sedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat: vides & urbium fieri gentiumque discidium, cum pars naturæ concitata est ex se, vel aliquod mare ingens spiritus impegit, quorum mira, ut ex toto, vis est. Quamuis enim parte sauiat, mundi tamen viribus sauit. Sic & Hispanias à contextu Africae, mare eripuit. Sic hac inundatione, quam poetarum maximi celebrant, ab Italiâ Sicilia reiecta est. Aliquando autem plus impetus habent, quæ ex infino veniunt. Acriora enim sunt, in quibus nisus est per angusta. Quantas res ij terrarum tremores, quamque mira spectacula ediderint, satis dictum est. Cur ergo aliquis ad hoc stupet, quod æs vnius statuæ, ne
solidum quidem, sed concavum ac tenue disruptum est: cum fortasse in illud se spiritus, quæ
Drens fugam, incluserit? Illud verò quis nescit? Diductis ædificia angulis vidimus moueri, iterumque componi. Quaedam verò parum aptata positu suo, & à fabris negligentius solutiusque composita, terræ motus sæpius agitata compegit. Quod si totos parietes & totas findit domos, & latera magnarum turrium, quæ solida sunt scindit, & pilas operibus subditas dissipat: quid est, quare quisquam dignum annotari putet, sectam esse æqualiter ab imo ad caput in partes duas statuam? Quare tamen per plures dies motus fuit? Non desit enim assidue tremere Campania, clementius quidem, sed ingenti damno, quia pressa & quassa quatiebat: quibus ad cadendum male stantibus, non erat impelli, sed agitari. Nondum videlicet spiritus omnis exciderat, sed adhuc emissâ parte maiore oberrabat. Inter argumenta quibus probatur, spiritu ista fieri, non est quod
dubites & hoc ponere. Cum maximus editus tremor est, quo in vrbes terrasque sauium est, non potest par illi subsequi alius, sed post maximum leues motus sunt, quia vehementius exitum ventis luctantibus fecit. Reliquæ deinde residui spiritus non

idem possunt, nec illis pugna est: cum iam viam inuenerint, sequanturque ea quæ prima A
vis ac maxima euasit. Hoc quoque dignum memoriâ iudico, ab eruditissimo & grauif-
simo viro cognitum: fortè enim cum hoc euenit, lauabatur. vidisse se affirmabat in bal-
neo tessellas, quibus solum erat stratum, alteram ab alterâ separari, iterumque committi:
& aquam modò recipi in commissuras, pauimento recedente, modò, compresso, bullire
& elidi. Eundem audiui narrantem, vidisse se molles materias, molliùs crebriusque tre-
mere, quàm naturâ duras. Hæc, Lucili virorum optime, quantum ad ipsas
causas. Illa nunc quæ ad confirmationem animorum pertinent: quos magis refert no-
strâ fortiores fieri, quàm doctiores. Sed alterum sine altero non fit. Non enim aliundè
animo venit robur, quàm à bonis artibus, quàm à contemplatione naturæ. Quem enim
non hic ipse casus aduersus omnes firmauerit & erexerit? Quid est cur ego hominem aut
feram, quid est cur sagittam aut lanceam tremam? maiora me pericula expectant. Flu-
minibus & terris, & magnis naturæ partibus petimur. Ingenti itaque animo mors pro-
uocanda est, siue nos æquo vastoque impetu aggreditur, siue quotidiano & vulgari exi- B
tu: nihil refert quàm minax veniat, quantumque sit, quod in nos trahat: quod à nobis
petit, minimum est. Hoc senectus à nobis ablatura est, hoc auriculæ dolor, hoc in nobis
humoris corrupti abundantia, hoc cibus parùm obsequens stomacho, hoc pes leuiter of-
fensus. Pusilla res est hominis anima, sed ingens res est contemptus animæ. Hanc qui
contempserit, securus videbit maria perturbari: etiam si illa omnes excitauerint venti,
etiam si æstus aliquâ perturbatione mundi, totum in terras verterit oceanum. Securus
adspiciet fulminantis cæli truem & horridam faciem: frangatur licet cælum, & ignes
suos in exitium omnium, in primis suum, misceat. Securus adspiciet ruptis compagibus
dehiscens solum. Illa licet inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginem in-
trepidus: & fortasse quò debet cadere, desiliet. Quid ad me, quàm sint magna quibus
pereo? Ipsum perire non est magnum. Proinde si volumus esse felices, si nec hominum,
nec deorum, nec rerum timore vexari, si despiciere fortunam superuacua promittentem,
leuia minitantem, si volumus tranquillè degere, & ipsis diis de felicitate controuersiam C
facere, anima in expedito est habenda. Siue illam infidiæ, siue morbi petet, siue hostium
gladij, siue insularum cadentium fragor, siue ipsarum ruina terrarum, siue vasta vis ignium,
vrbes agrosque pari clade complexa, cum libet illi, eam accipiat. Quid aliud debeo,
quàm exeuntem hortari, & cum bonis omnibus emittere? Vade fortiter, vade feliciter.
Nihil dubitaueris reddere. Non de re, sed de tempore est quæstio. Facis quod quando-
que faciendum est. Nec rogaueris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exitu-
rum tuleris retrò. Rerum natura te, quæ genuit, expectat, & locus melior ac tutior. Illi
non tremunt terræ, nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt, non in-
cendia regiones vrbesque vastant, non naufragiorum totas classes sorbentium metus
est, non arma contraria disposita vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium
par furor, non pestilentia, & ardentes promiscuè, communes populis cadentibus rogi.
Istud leue est. quid timemus? Graue est. potius semel incidat, quàm semper impendat.
Ego autem perire timeam, cum terra ante me pereat, cum ista quatiantur quæ quatiunt, D
& in iniuriam nostram non sine suâ veniunt? Helicen Burinque totas mare accepit: ego
de vno corpusculo timeam? Supra oppida duo nauigatur: duo autem, quæ nouimus,
quæ in nostram notitiam memoria litteris seruata perduxit. Quàm multa alia aliis locis
mersa sunt? Quot populos aut terra in se, aut mare inclusit? Ego recusem mei finem,
cum sciam me sine fine non esse: imò cum sciam omnia esse finita? Ego vltimum suspi-
rium timeam? Quantum potes itaque ipse te cohortare, Lucili, contra metum mortis.
Hic est qui nos humiles facit: hic est qui ipsam vitam cui parcat, inquietat ac perdit. Hic
omnia ista dilatat, terrarum motus, & fulmina. Quæ omnia feres constanter, si cogita-
ueris nihil interesse inter exiguum tempus & longum. Horæ sunt quas perdimus. Puta
dies esse, puta menses, puta annos: perdimus illos, nempe perituros. Quid, oro te, re-
fert, num perueniam ad illos? fluit tempus, & auidissimos sui deferit. Nec quod futu-
rum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo: & magni est,
modicum

A modicum fuisse
Hos, inquit, de
prehensibilis vi
ramus omisso.
Quando? Quid
rumque omnia
vnum, Lucili,
cū familiarum

M. A

A

B



plorado flammæ po
bro secunda Me
runt: Plinius lib
Liber tertius de p

2. ET QUID
stoteles quidem
C terram moueri: a
nullam esse anni
perimenta docu

3. SEXCENTA
ex eo contigisse
ac pestiferi halitus
cui ad pecudes com
humis pascantur,
Sic Homericæ pug
puit. Sed hoc Sen

AD CAP.

RASIAM.] Locu
matilus ac depre
Theram & Ther
lam, &c. Plinius
mum emerit, C

D Therasia, atq
te, eadem Hæc
eandem Hæc
libri secundi.

AD CAP. X

Volatur & Bara. a
alteram cado alia
Vide eundem & lib
cū Plinius cap. 3.

AD CAP. XI

RE INHOMINATI
Fugis vi dantis
Coccy, inuinc
7. THYCTIDI
autem insula est in L.

A modicum fuisse. Eleganter Lælius ille sapiens dicenti cuidam, Sexaginta annos habeo: Hos, inquit, dicis sexaginta, quos non habes? Ne ex hoc quidem intelligimus incomprehensibilis vitæ conditionem & sortem temporis semper alieni, quòd annos annumeramus omisso. Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Moriendum est. Quando? Quid tuâ? Mors naturæ lex est, mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis, hoc vnum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides: effice illam tibi cogitatione multâ familiarem: ut si ita tulerit, possis illi vel obuiam exire.

M. ANTONII MURETI

AD LIBRUM SEXTUM

B

NATURALIVM SENECAE

QVAESTIONVM, NOTÆ.



AD CAP. I. 1. POMPEIOS.] Vix vlla res est, de quâ maiore contentione disputarint philosophi, quàm de terræ motu. De quo tamen nihil adhuc pro certo atque explorato statuere potuerunt. Videndus Aristoteles libro secundo Meteorologicôn, & qui in eum scripserunt: Plinius libri secundi cap. LXXIX. & deinceps Liber tertius de placitis philosophorum.

2. ET QUIDEM DIEBUS HIBERNIS.] Aristoteles quidem auctor est, vere & autumno sapius terram moveri: astate & hieme rarius: sed tamen nullam esse anni partem ab hoc mali genere tutam, experimenta docuerunt.

3. SEXCENTARVM OVIVM GREGEM.] Hoc ex eo contigisse videri potest, quòd in terræ motu tætri ac pestiferi halitus afflantur è terrâ: quorum noxia vis ad pecudes citissimè ac facillimè pervenit: ut quæ humi pascantur, neque ferè umquam caput attollant. Sic Homericæ pestis greges primum & armenta corripuit. Sed hoc Seneca ipse postea dicturus est.

AD CAP. XXI. 4. THERAM ET THERASIAM.] Locum hunc, qui etiam in vetustis libris mutilus ac depravatus est, ita legendum puto, Inter Theram & Therasiam, hanc nostræ ætatis insulam, &c. Plinius libro quarto: Thera, cum primum emerfit, Calliste dicta: ex eâ auulsa postea Therasia, atque inter duas enata, mox Automate, eadem Hiera. & in nostro ævo Thia iuxta eandem Hieram nata. Vide eundem cap. LXXXVII. libri secundi.

AD CAP. XXIII. 5. HELICE BURISQUE.] Vocatur & Bura. earum unâ hiatu terræ absorptam, alteram undis obrutam fuisse, scribit Strabo libro I. Vide eundem & libro octavo, & Pausaniam in Achaicis, & Plinium cap. XCI. libri secundi.

AD CAP. XXIV. 6. CUM FRIGORE INHORRIMVS.] Lucretius, Frigus uti nostros penitus cum venit in artus, Cœcutit, inuitos cogens tremere atq; mouere.

7. THUCYDIDES AIT.] Libro tertio. Athalanta autem insula est in Locris Opuntiis.

8. IDEM SIDONI ACCIDISSE, POSIDONIO CREDE.] Hoc ipsum narrat, & auctorem eundem Posidonium laudat Strabo libro I.

AD CAP. XXV. 9. CUM LABORAVIT ÆGIVM.] Verè & eruditè locum hunc emendavit Pincianus.

AD CAP. XXVI. 10. ÆGYPTVM NUMQUAM TREMVISSE TRADVNT.] Aliam huius rei causam affert Plinius, cuius hæc verba sunt, cap. LXXX. libri secundi: Idèd Galliæ & Ægyptus minimè quatuntur, quoniam hîc æstatis causa obstat, illi hiemis.

11. SI HOMERO FIDES EST.] Hac de re Homeri versus sunt Odysseæ libro IV.

Νῆσος ἐπειτὰ τις ἐστὶ πολυκλύς ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγυπία περὶ πάροιθε. Φάρον δ' ἐὶ κελήσασσι.
Τόσον ἀνδρῶν ὅσον τε πανημερίη λαφύρῃ νῆος
Ἦνυσεν, ἢ λιγυρὲς ἔργος ὀπιπνεῖσιν ὀπίσθεν.

12. ET DELOS, QUAM VIRGILIUS STARE IVSSIT.] Eleganter quod de Apolline Virgilius dixerat, id ad ipsum Virgilium transtulit.

13. CREDVLA NATIO.] Plerumque enim, non tam, verum sit aliquid, nec ne sit, quàm posito verum esse, causas cur ita fiat, inquirunt.

14. AVCTORE PINDARO.] Locus Pindari apud Pindarum ipsum non exstat: sed citatur à Strabone libro decimo. Apud Callimachum quidem in hymno in Delum ita legitur:

Κεῖν δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἀτεργπος.

Herodotus tremuisse ait Delon, quo tempore Dareus in Græciam exercitum duxit: cum prius oraculo ita responsum esset,

Quinetiam Delon, quamquam est immota, mouebo.

15. THUCYDIDES AIT.] Libro I. E'τι δὲ Δῆλος ἐκινήθη, ὀλίγω πορὶ τῶν, πορὶ τῶν ἔπω σείθεισα, ἀφ' ἧς Ἕλληνες μέμνηται. Plinius lib. IV. Ipsaque longè clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem. Mucianus prodidit bis concussam.